

& à Metaphysicâ distinguunt. Certè ad DEUM, tanquam præcipuum Pnevmonicæ objectum, applicantur, quæ Azizus, in laudato opusculo, his verbis proponit: *Attributa DEI, in suo genere essentia DEI sunt: & opera, in suo genere vita: nomina verò, in suo genere facies.* Et post pauca: *DEI attributa, significationes & comparationes sunt, ipsa verò essentia; quia nec ulla existentia, sine essentiâ.* (n) In Commentario super illa, Dn. Müllerus refert, inter Muhamedanos quæstionem agitari: *An attributa DEI ab essentiâ differant?* eamque affirmari ab Ascharitis & Sephataëis; negari autem à Mutazalitis. Ecce sectas easdem in Oriente, quæ inter Scholasticos ortæ sunt in Occidente. Qui enim cum prioribus apud nos conspirant, *Reales*; qui cum posterioribus, *Nominales* appellantur. Prætereà calculo nostro probamus, quæ in Alcorano, de DEI omnipotentiâ, omniscientiâ, justitiâ, creatione universi & quod DEUS ex creatione ac conservatione rerum à se conditarum, cognoscatur, extant: (o) uti è contrario, quæ DEUM ut finitum locoque circumscriptum, aut quod præ reliquis detestamur, *ut autorem peccati* exhibent, (p) atro carbone notamus. De Providentiâ aliquando Psevdropropheta haud incommodè loquitur: at in eo cespitat, imo mole ruit suâ, quod Fatum Stoicum ex orco revocat & non perfunctoriè incrustat; (q) eam duntaxat ob causam, quia persuasio isthæc ingens ad militarem fortitudinem

(n) Cap. 2. B. 2. (o) Alcor. L. 3. c. 24. 31. 32. L. 2. c. 1. (p) Ib. L. 3. c. 31. (q) Vid Budovez Circ. Horol. p. 156.